

non obstante enim assecuratione, res ad locatarium non pertinet, de illa pro nutu disponere non potest, sed eamdem in se reddere tenetur; contra vero, socius qui capitale et lucrum certum respectu alterius assecuravit, de capitali pro nutu disponere potest, dummodo illud in specie, tempore convenienti, reddat, et promissum lucrum solvat. Ergo. Idem dicendum est quando assecurantur merces a transvectore, depositum a depositario, commodatum a commodatario, in his enim casibus res assecurata non transit in dominium assecrantis, siquidem eadem individualiter reddere tenetur.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

TRACTATUS

DE CENSURIS.

Vox *censura*, a verbo *censeo* derivata, apud veteres Romanos erat usitata, et significabat sententiam censoris mores corrigentis: quem enim censor in censi seu in descriptione senatorum, equitum, etc., non computabat, is infamia erat notatus, et ex ordine suo ejiciebatur. Hanc vocem usurpavit Ecclesia ut exprimeret poenam qua filios suis delinquentes corrigeret niteretur. Unde censura ecclesiastica communiter definitur: *Pœna spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti et contumaci auferitur usus quorundam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1º *pœna spiritualis*, non quod Ecclesia pœnas tantum spirituales, animum affligentes, decernere possit, ut *Van-Espen, de Marca* aliique plures contendunt; communius enim docetur eam habere potestatem infligendi pœnas quæ animum et corpus simul attingant, puta, jejunia, mulctam pecuniariam, flagella, carcerem, exsilium, etc., ut patet exemplo plurimorum conciliorum a *Devoti* relatorum, t. 4. Itaque Ecclesia, ut perfecta res publica, regit animum et corpus, et duplicit generis pœnas, spirituales videlicet et corporales, statuere potest. Censura pertinet ad ordinem spiritualem, licet quandoque effectus temporales inducat, v. g., privationem fructuum beneficii; quia primarius ejus finis semper est exclusio a participatione bonorum spiritualium, ut explicabimus infra.

Dicitur 2º *medicinalis*; duplicit enim generis distinguuntur pœnæ spirituales, ratione finis; scilicet, *vindictivæ*, quæ ad vindictam delinquentis tendunt et ad procurandum bonum publicum præcipue referuntur; et *medicinales*, quarum finis principalis est correctio peccatoris. Ad hoc genus pertinent omnes et sole censuræ proprie dictæ.

Dicitur 3º *qua homini baptizato*; quia Ecclesia non habet potestatem in infideles, nec igitur eos ope censorum corrigerere potest: bene vero hæreticos, licet quandoque ex circumstantiis eos attingere noluisse satis comperiatur.

Dicitur 4º *delinquenti*; alioquin poenam non mereretur, et *contumaci*, id est, obedire recusanti, in peccato perseverare volenti; si enim monitus statim obediret, Ecclesia tenera mater eum censuris non afficeret, ut ex pluribus juris canonici capitibus colligitur. Imo si obedire recusans ignoraret poenam ideo sibi minatam, communiter docent canonistæ eum non incurtere censuram, quia non est stricte contumax. Vide *S. Ligorium*, l. 7, n. 43 et 44; *Reiffenstuel*, l. 5, tit. 39, n. 13, etc.

Dicitur 5º *aufertur usus quorumdam*, etc.; Ecclesia enim per censuras non privat bonis personalibus, v. g., fide, charitate, meritis acquisitis, sed bonis communibus ipsius administrationi commissis, ut jurisdictione spirituali, suffragiis publicis, participatione sacramentorum et sacrificio missæ, officiis ecclesiasticis, etc.

Censura dividitur 1º in censuram a jure et censuram ab homine. Censura *a jure* ea est quæ lege vel statuto permanente in omnes hoc vel illud facientes decernitur; censura vero *ab homine* ea dicitur quæ per modum sententiae aut mandati specialis fertur, et ordinarie in aliquem determinatum, qualis fuit sententia qua Pius VII Napoleonem excommunicavit anno 1809.

Dividitur 2º in censuram latæ sententiae et in censuram ferendæ sententiae. Censura dicitur *latæ sententiae*, quando ipsi legis vel mandati transgressioni adnectitur, ita ut per ipsam vetitam actionem, absque ulla superioris sententia, incurritur; v. g., hominem occidendo, clericum percutiendo. Signa hujus censuræ sunt: 1º istæ voces in textu legis expressæ: *ipso facto*; *ipso jure*; *eo ipso*, vel aliæ similes; 2º verba præsentis vel præteriti temporis, v. g., *sit excommunicatus*, *excommunicatur*, *excommunicationis sententia innodandum duximus*, *noverit se esse excommunicatum*.

Censura *ferendæ sententiae* ea est quam superior jubet

infligi, vel minatur se inflicturum: ipso facto non incurritur; sed per judicis sententiam infligi debet. Agnoscitur 1º si verba sint comminatoria, v. g., *præcipimus sub poena excommunicationis*; 2º si verba futurum tempus expriment, aut actionem judicis exigant, v. g., *excommunicabitur*, *excommunicandus erit*, *excommunicetur*, etc.

Quando verba sunt ambigua, et dubitatur an censura sit latæ vel ferendæ sententiae, pronuntiandum est eam esse ferendæ sententiae; nam regula juris 49 sic habet: *In poenam benignior est interpretatio facienda*.

Dividitur 3º ratione specierum in excommunicationem, suspensionem et interdictum; in capite enim 20, tit. 40, l. 5 Decretal. Innocentius III quærenti *quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi*, respondebat intelligendum esse excommunicationem, suspensionem et interdictum. Ipsius autem responsio incorrecta et falsa esset, si aliae darentur censuræ species. Unde communiter theologi, contra paucos, docent cessationem a divinis, quia ecclesia fuit polluta, et irregularitatem ex delicto de qua alibi dicitur, proprie dictas non esse censuras, quia non imponuntur per modum medicinæ ad corrigendos mores.

Idem dicendum est, 1º de prohibitione facta sacerdoti graviter accusato, licet non convicto, ne sacras obeat functiones, ad vitandum scandalum; 2º de prohibitione, sive ad tempus, sive perpetua, ne sacerdos etiam poenitens, correctus, Deo reconciliatus, sacris fungatur officiis, quia fidèles graviter offenderentur; 3º de revocatione concessionum gratiosarum; quia cum illæ facultates non sint debitæ, earum limitatio vel revocatio non est poena proprie dicta; 4º de destitutione, depositione, degradatione, infamia, quæ sunt poenæ vindicativæ, et non censuræ. *Reiffenstuel*, l. 5, tit. 37, n. 16 et seq.; *Collet*, part. 1, cap. 1.

His notatis, præsentem Tractatum in septem dividemus capita: primum erit de potestate et modo ferendi censuras; secundum, de iis in quos ferri possunt censuræ; tertium, de causis excusantibus a censuris; quartum, de eessatione censorum; quintum de excommunicatione; sextum, de suspensione; septimum, de interdicto.

CAPUT PRIMUM.

DE POTESTATE ET MODO FERENDI CENSURAS.

Viclefistæ et Hussite potestatem ferendi censuras suggillabant, ut patet n. 30, inter 45 errores a concilio Constantiensi damnatos, sic habente: « Excommunicatio Papæ vel cujuscumque prælati non timenda, quia est censura Antchristi. » Lutherus contendebat excommunicationem esse pœnam mere externam tuendæ disciplinæ utilem, sed nullum effectum spiritualem habere; sic enim se habet prop. 89, inter propositiones Lutheri a Leone X, anno 1520, damnatas: « Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus. » Labbe, t. 14. Hic ergo statendum est 1º existere in Ecclesia potestatem ferendi censuras; 2º quinam hanc exerceant potestatem; 3º ob quam causam, et 4º in qua forma.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia habet potestatem ferendi censuras.

Hæc propositio est de fide; probatur scriptura sacra, testimonii Patrum, praxi Ecclesiæ et ratione.

1º *Est de fide*, ut pote definita in concilio Constantiensi et in bulla Leonis X ubique recepta.

2º *Prob. Scriptura sacra*, Matt. XVI, 19: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo. Et ibid. XVIII, 17: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Hic agitur de corripiendis delinquentibus: Ecclesia igitur aliquas in eos ferre potest pœnas, quæ non sunt mere externæ cum ligent in cœlo: ergo sunt pœnæ spirituales, seu veræ censuræ. Sic interpretes et traditio hunc intellexerunt textum.

DE CENSURIS.

515

Ea potestate usus est B. Paulus tradens Satanæ incetus Corinthium in interitum carnis, ut spiritus salvus esset, I Cor. v, 5; item Hymenæum et Alexandrum, ut discerent non blasphemare, I Tim. 1, 20, Ergo 2º.

3º *Testimoniis Patrum*. Tertull. Apol. cap. 39: « Ibi dem etiam exhortationes, castigationes et censura divina: nam... summum futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conveniencie, et omnis sancti commercii relegateur. »

S. Aug. lib. de Fide et Operibus, cap. 26: *Nisi essent quædam ita gravia ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis nobis et meo spiritu tradere ejusmodi Satanæ. » etc. Ergo 3º.*

4º *Praxi Ecclesiæ*. A temporibus enim Apostolorum usque ad nos semper viguit usus ferendi censuras, ut constat canonibus dictis Apostolorum, multis conciliis, summorum Pontificum decretis et tota historiæ ecclesiasticae serie. Ergo 4º.

5º *Ratione*. Ecclesia est societas sapientissime constituta: at omnis societas perfecta habet jus privandi subditos delinquentes bonis communibus: ergo et Ecclesia hanc habet potestatem, non in destructionem, sed in bonum individui, ad coercendam ejus contumaciam, ut spiritus salvus fiat, et in bonum fidelium, ne scilicet modicum fermentum totam massam corrumpat. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Omnis et solus superior ecclesiasticus, habens jurisdictionem in foro externo, censuras ferre potest.

Prob. Potestas ecclesiastica fori externi instituta est ad servandam disciplinam per leges, præcepta et sententias, seu ad gubernandam Ecclesiam: at talis potestas incompleta et infirma esset, si pœnis rebellis coercere et ad obedientium compellere non posset: ergo quicumque hujusmodi habet jurisdictionem, is solus censuras ferre potest.

Unde 1º summus Pontifex et concilium generale censuras in tota Ecclesia ferre possunt; 2º episcopi in suis diocesi-

bus et concilium provinciale in provincia; 3º archiepiscopi in diocesibus sibi suffraganeis, sed tempore visitationis tantum, nisi causa sit ad ipsos per appellationem devoluta; 4º episcopi confirmati, etsi non consecrati, quia tunc habent potestatem regendi, seu jurisdictionem in foro externo; 5º vicarii generales, episcopi, ut communissime docent theologi contra paucos, quia unum cum episcopo faciunt tribunal; sed tantum extrajudicialiter, quia, ut tales, non habent jurisdictionem contentiosam; 6º officiales episcoporum per sententiam judicialem, quia eadem etiam censentur esse personæ cum episcopo in contentiosis; 7º generales, provinciales et superiores locales religionum respectu subditorum; 8º congregations religionum, capitula provincialia quorumdam religiosorum: quæ tamen intelligenda sunt de religionibus virorum ab Ecclesia approbatis, et secundum propria earum statuta, ait *Collet.* c. 2, art. 2; 9º capitulum ecclesiæ cathedralis, sede vacante, seu vicarii capitulares, quibus cura diocesis committitur. Hi omnes enim habent jurisdictionem in foro externo.

Olim parochi censuris innodare poterant suos parochianos, ut supponit Alexander III, in *Decretal.* l. 1, tit. 31, cap. 3: hoc autem a multo tempore obsolevit.

Hujusmodi facultatem nunquam habuerunt abbatissæ, quia jurisdictionis ecclesiasticae non sunt capaces. Unde si dicatur in jure eas ab officio vel beneficio suspendere posse clericos sibi subditos, id intelligendum est de quadam prohibitione celebrandi, aliudve officium exercendi, et non de censura proprie dicta, ut advertunt *Bonacina*, *Layman*, *Billuart*, *S. Ligerius*, l. 7, n. 11, etc.

Qui ordinariam habent potestatem censuras ferendi, eam alteri clero delegare possunt, quia de natura est jurisdictionis ordinariae ut per alium idoneum exerceri valeat. Sic aliunde expresse statuit in Sexto, l. 1, tit. 16, cap. 7, *Cum episcopus*. Ex variis autem juris capitibus, laicus delegari non potest, nisi a Papa, qui, ex plenitude suæ potestatis, juri canonico derogare potest. At communius et probabilius tenent auctores eum nullatenus

feminam delegare posse, quia feminæ potestatis clavum jure divino sunt incapaces. Ita *Billuart*, *S. Ligerius*, etc.

Hinc infertur episcopum sibi eligere non posse pro viario generali nisi clericum saltem tonsura initiatum.

PROPOSITIO TERTIA.

Censuræ ferri non possunt nisi ob peccatum externum, factum cum contumacia, mortale et in genere suo completum.

Hæc propositio ab omnibus admittitur, et sola verborum expositione sufficienter probatur.

1º *Nisi ob peccatum*; censura enim, cum sit pena medicinalis, supponit culpam. Hoc tamen inter censuras datur discrimin quod excommunicatione incurri non possit nisi ob culpam personalem, et ideo Innocentius IV penitus prohibet, cap. 5, tit. 11, lib. 5 *Sexti*, ne sententia excommunicationis in universitatem vel collegium feratur. Contra vero suspensio et interdictum communitatibus illius vel capitis ejus culpam infligi possunt, licet aliqui in ea sint innocentes.

2º *Externum*; censura enim, ut supra diximus, est actus fori externi ad externam disciplinam pertinens: ergo inferri non potest ob culpam mere internam.

3º *Factum cum contumacia*: id evidenter supponit ratio censuræ, quæ non est pena vindicativa, sed ad corrigendum præcipue destinata.

4º *Mortale*; quia censuræ, saltem generatim, sunt penæ gravissimæ: ergo gravem supponunt culpam. Dicimus saltem generatim, ut excipiamus excommunicationem minorem, suspensionem vel interdictum ad paucos dies, quæ ob culpam veniale incurri possunt.

5º *In suo genere completum*; nisi lex positiva dicat solam attentionem sufficere; quia, ex regula juris 15, *odia restringi convenit*: unde latam excommunicationem propter homicidium non incurreret qui, ex intentione hominem occidendi, eum graviter tantum vulneraret.

At sedulo attendendus est actus cui imponitur censura,

et pensanda sunt verba legis aut sententiæ; nam sape mandantes, consilium dantes, vel aliter ad actum principalem, v. g., ad duellum, ad raptum, cooperantes, eadem censura plectuntur.

PROPOSITIO QUARTA.

Censuræ ferri non debent nisi prævia aliqua monitione et signis externis sufficienter exprimantur.

Prob. 1º. Aliqua præmittenda est monitio, ut expresse habetur in Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 48, et ratio est quia censura, cum sit pœna medicinalis, supponit contumaciam: dici autem non potest aliquem esse contumacem, si nullo modo præmonitus fuerit: ergo. In censuris autem a jure vel etiam ab homine pro culpa futura non requiritur monitio a lege vel prohibitione superioris distincta: ista quippe lex vel prohibitio quasi perpetua est monitio.

Ubi tamen censura est ferendæ sententiæ, specialis requiritur sententia ad declarandam censuram, et reus citari debet, ut facti sui excusationem offerat, nisi, juxta communem extraneorum sententiam, culpa adeo sit notoria, ut constet nullam allegari posse excusationem. Gallicani autem canonistæ semper exigunt citationem coram judge. Vide *Collet*, Curs. compl. t. 17, col. 56; *Coll. Andeg.*, etc.

Verum in censuris ab homine, pro culpa præsenti vel præterita, præter citationem omnino requisitam, semper necessaria est monitio necessitate præcepti, ut Alexander III, in Decretal. l. 2, tit. 28, cap. 26, relatus statuit. Imo probabilius videtur monitionem canonicam ad essentiam censuræ pertinere, et ipsum Papam aliquem censura proprie dicta valide innodare non posse, nulla monitione præmissa: quia in eo casu nulla existeret contumacia, et censura ferri non potest nisi in contumaciam. Ita *S. Ligorius*, l. 7, n. 53, et multi cum illo.

Ut sententia sit licita, tripla requiritur monitio canonica, et tamen uia pro tribus sufficit, modo id enuntie-

tur, et tempus æquivalens concedatur, videlicet sex dies. Aliquando tamen si periculum sit in mora, v. g., si clericus ducatur ad mortem, si reprimenda sit violentia hic et nunc exercita, unica sufficit monitio sine tribus spatiis, modo assigetur terminus. Colligitur ex Decreto, part. 2, causa 24, q. 3, can. 6, ex pluribus cap. tit. 11, de Sententia excommunic., l. 5, in Sexto, et ita *S. Ligorius*, cum pluribus aliis, l. 7, n. 56.

2º Requiritur ut censuræ signis externis sufficienter exprimantur; sunt enim actus fori externi: ergo interna superioris voluntas non sufficit, nisi verbis, scripto vel alio sensibili signo innotescat. Ad validitatem censuræ nulla præscribitur forma; requiritur tantum ut persona, crimen et pœna sufficienter determinentur. Verum, si per modum sententiæ judicariæ pronuntietur, ut sit licita, servandæ sunt solemitates ab Innocentio IV præscriptæ, et in Sexto, l. 5, tit. 11, cap. 1, relatæ, nempe ut sententia sit scripta, causam censuræ exprimat, exemplar illius superior infra mensem tradere teneatur, si requisitus fucrit, et super hac requisitione det publicum instrumentum seu litteras testimoniales, sigillo authenticō consignatas.

CAPUT SECUNDUM.

IN QUOS CENSURÆ FERRI POSSINT.

Censuræ in omnes et solos homines baptizatos, viatores, doli capaces et subditos ferri possunt.

1º *In homines*; soli quippe homines rationis compotes censuræ proprie dictæ sunt capaces. Unde quando locutæ aliave animalia nociva dicuntur excommunicari vel anathematizari, id non debet intelligi de vera excommunicatione, quæ sit censura, sed de quadam adjuratione pro ipsorum interitu vel expulsione. Eo sensu adjurari possunt infideles, non vero proprie excommunicari. Sic Calixtus III publicas indicavit preces, anno 1456, contra Turcas, et simul contra calamitates quas populi falso

tribuebant cometæ tunc splendenti et anno 1833 redditu-
ra; non autem Turcas et cometam excommunicare in-
tendit, ut celebris quidam in astronomia peritus nuper
affirmare non erubuit.

2º Baptizatos; censuræ enim sunt actus jurisdictionis
ecclesiasticae : Ecclesia autem nullam habet jurisdictionem
in non baptizatos. Ergo.

3º Omnes baptizatos; nulla etenim est exceptio : qui-
cumque baptizati sunt, jurisdictioni ecclesiasticae sub-
jiciuntur : ergo omnes censuris ligari possunt, etiam hære-
tici, schismatici et apostatae, quia per suam inobedientiam
jus Ecclesiæ nec destruere nec limitare potuerunt.

4º Viatores; quia ii soli correctionis sunt capaces. Si
ergo mortui quandoque in jure dicuntur excommunicari,
id intelligendum est de quadam execratione, vel de ex-
communicationis quam ante mortem incurserant declara-
tione, vel de excommunicatione indirecta, qua Ecclesia
prohibet ne vivi pro iis orent, vel alia officia christiana
ipsis exhibeant.

5º Doli capaces; cum enim censura gravem culpam
supponat, eo ipso constat doli incapaces, ut infantes et
perpetuo amentes, eam incurtere non posse. Insani, fu-
riosi, ebrii, dormientes, censuram tamen incurtere pos-
sunt ob delictum vigente usu rationis commissum, eo sci-
licet instanti quo producitur effectus.

An impuberes doli capaces censuris ligari possint dis-
putant theologi; probabilior videtur sententia affirmans,
quia si Deus peccata impuberum poenis afficiat, cur Ec-
clesia eos plectere non posset? De facto impuberes ratio-
nis compotes, claustra monialium intrantes vel clericum
graviter percutientes, excommunicationem incurront, ut
constat ex concilio Trid., sess. 25, cap. 5, de Régul. et
Monial., et Decretal. lib. 5, tit. 40, cap. 60.

At communiter docetur censuras generaliter latas, sive
a jure, sive ab homine, ab impuberibus non incurri, nisi
hoc fuerit expressum, et eos vi monitorii ad revelationem
non teneri. Vide S. Ligorium, l. 7, n. 14; Collet, part. 1,
c. 3, art. 3.

6º Subditos; censura enim est actus jurisdictionis ; ju-
risdiction autem exerceri non potest, nisi in subditos. Ergo.

Hinc 1º Papa censuris ligari non potest, quia nullum
habet superiorem, et seipsum ligare nequit : excipitur
nisi fiat hæreticus, quo in casu concilium generale eum
per censuras cogere posset, ait S. Ligorius, ex can. 6,
dist. 40, 1^a part. decret. 2º Nec episcopi ligantur censuris
ab ipsis emanatis, propter eamdem rationem, nec etiam
suspensione aut interdicto a jure latis, nisi expressa de
ipsis mentio habeatur, ut Innocentius IV expressis verbis
statuit in Sexto, l. 5, tit. 11, cap. 4. Hæc non exprimitur
exceptio pro excommunicatione. 3º Quamvis reges, re-
ginæ eorumque filii episcopis ordinariis subjiciantur
quoad spiritualia, ab eis tamen censura ligari non pos-
sunt, quia, ex privilegio, hoc reservatur summo Pontifici,
ut communiter docent auctores. 4º Eadem ratione cen-
suris episcopi non subjiciuntur religiosi exempti quoad
ea in quibus sunt exempti, non vero quoad ea in quibus
pendent ab episcopo, v. g., in administratione sacramen-
torum.

Variae autem difficultates ex territorio exsurgunt. 1º Cen-
suris ligantur dicecesani extra dicecesim existentes, si quid
sub censura præscriptum et in dicecesi faciendum omit-
tant, v. g., residentiam, assistantiam synodo, restitu-
tionem furti, revelationem delicti aut impedimenti, etc., quia
ibi delinquere censent ubi non faciunt quod facere te-
nentur, et sic habet Innocentius III, in Decretali, l. 3, tit.
4, cap. 11. 2º Item subdi extra territorium delinquentes,
ab ordinario censura per sententiam plecti possunt,
quando citati, comparere aut satisfactionem dare recu-
sant. At, si agatur de censura *latæ sententiae*, vel est a
jure, et tunc convenient omnes eam non incurri extra ter-
ritorium, quia lex est localis et mediate tantum attingit
personas : vel est ab homine; v. g., Petrus excommuni-
catur si hoc vel illud faciat aut omittat, et tunc alii affir-
mant censuram incurri, quia mandatum est personale;
alii negant, dicentes mandatum, etsi aliquo sensu perso-
nale, nihilominus intra certos limites circumscribi quoad

effectus, idque concludunt ex Sexto, lib. 1, tit. 2, cap. 2.
 3º Advenæ, peregrini et vagi censuris locorum in quibus delinquent ligantur, id est, censuris a jure, propter rationem allatam, sed probabiliter non censuris ab homine. Dicimus *probabiliter*, quia non liquet eos non ligari censura, si mandato episcopi jubentis, v. g., sub pœna excommunicationis ut qui noscunt auctores talis furti vel homicidii illos manifestent, parere nolunt: non videtur enim cur mandatum eos non ligaret in tali casu sicut statutum permanens. Communiter autem docent eos censura per sententiam plecti posse, si ob crimen ibi commissum citati satisfacere recusent. Vide Decretal., l. 2, tit. 2, cap. 14, et l. 5, tit. 17, cap. 1. 4º Prælati regulares subditos suos ubicumque existentes censuris ligare possunt; est *sententia communis*. 5º Episcopus, extra propriam diœcesim degens, jurisdictionem contentiosam exercere non potest, ac consequenter nec censuras per sententiam judicariam ferre. Excipitur si contumacia sit adeo manifesta ut cognitione causæ non indigeat, aut si causa in proprio territorio fuerit instructa, vel si episcopus a diœcesi sua injuste fuerit expulsus, quo in casu totam jurisdictionem suam in viciniis locis exercere potest, petita, etsi non obtenta, ab ordinario loci licentia, ut in Clementin., l. 2, tit. 2, cap. unico habetur. Legem autem vel statutum aut mandatum, cum censura ei annexa, pro sua diœcesi, ubicumque decernere potest, quia hujusmodi lex vel mandatum non est actus jurisdictionis contentiosæ.

Non repugnat eumdem hominem pluribus simul ligari censuris, sicut non repugnat eum pluribus peccatis mortaliibus gratiam sanctificantem amittere, sive ob idem delictum a pluribus superioribus, v. g., a Papa et ab episcopo vetitum, sive ob transgressionem plurium legum quibus annæxæ sunt censure ejusdem vel diversi generis, sive ob iterationem ejusdem actus sub censura prohibiti. *Sic generaliter auctores.*

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS A CENSURA EXCUSANTIBUS.

Cum omnis censura, ut pote pœna, culpam supponat, quidquid excusat a culpa, eo ipso excusat a censura. Plurimæ autem sunt causæ a peccato excusantes, scilicet:

1º Ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti, *ut in Tractatu de Actibus humanis probavimus*: a censura vero non excusaret ignorantia invincibilis aut supina, quia non excusat a peccato, et sic statuit in Sexto, l. 1, tit. 2, cap. 2.

Hinc 1º qui percudit vel occidit clericum, invincibiliter ignorans esse clericum, excommunicationem contra clericorum percussores latam non incurrit, quia licet reus sit homicidii, immunis est a sacrilegio cui annexa est censura: si sciret esse clericum, et ignoraret legem Ecclesiæ, vel pœnam ab Ecclesia decretam, eam probabilius adhuc non incurriteret, quia non esset contumax erga Ecclesiam. *Ita communiter auctores.*

Hinc 2º qui in dubio de existentia censuræ, rem cui re vera annexa est censura facit, censuram incurrit si mortaliter peccet; censetur enim contumax erga Ecclesiam.

Hinc 3º si ignorantia invincibilis a gravi culpa excusat, eo ipso a gravi censura excusat. Patet ex superiorius dictis, ubi de culpa ad incurram censuram requisita.

Hinc 4º Si inadvertentia, parvitas materiæ, defectus consensus a gravi peccato excusat, excusant pariter a censura gravi.

2º Metus respective gravis, si agatur de præcepto ecclesiastico, plerumque tollit obligationem ac proinde censuram, quia lex ecclesiastica in se sumpta non obligat cum tanto incommodo. Dicimus *plerumque*, quia fieri potest ut obligatio cum metu gravi existat; v. g., si episcopus sub pœna censuræ jubeat ut parochus, vel ejus defectu vicarius, sacramenta peste infectis administret. Si autem de

præcepto naturali aut divino ageretur, plures adhuc dicunt censuram non incurri, quanvis adsit peccatum, quia lex ecclesiastica eam imponens desinit obligare, nec igitur est contumacia contra Ecclesiam. At in utraque hypothesi, si metus, etsi gravis, in contemptum Ecclesiae incurreret, a peccato gravi non excusaret, nec igitur a censura.

3º Impotentia, sive physica, sive moralis, quia, ex regula juris 6, *nemo potest ad impossibile obligari*: unde talis impotentia excusat a peccato: ergo et a censura.

4º Ex Decretal. l. 2, tit. 28, cap. 40, censura ferri potest sub conditione, et tunc non existit de facto ante impletionem conditionis. Si autem ante conditionis impletionem fiat appellatio legitima, suspenditur censura; non item post conditionis purificationem, quia censuram jam existentem non aufert appellatio, ut habetur in cap. 53, ejusdem tituli libri modo citati.

Ut appellatio autem sit legitima, tres requiruntur conditiones, videlicet 1º causa sufficiens: nam « *appellationis* » remedium non est ad defensionem iniuritatis, sed ad « *præsidium innocentie institutum*, » ait Innocentius II in Decretal. l. 2, tit. 28, cap. 61; 2º ut ab inferiori judece ad superiorem fiat: unde vana esset appellatio ab Ecclesia dispersa ad concilium generale; 3º ut fiat tempore statuto, id est, de jure communi intra decem dies a die publicationis sententiae, ut docent canonistæ ex Sexto, l. 2, tit. 15, cap. 8.

5º Censura evidenter invalida nullatenus obligat, ut ex solis terminis patet et generaliter docent auctores. Attamen si invaliditas sit occulta, censura pro foro interno nulla, suos obtinet effectus in foro externo, propter reverentiam potestati ecclesiasticae debitam: unde qui propter allegationem falsam fuit excommunicatus aut interdictus, censuram servare tenetur, non vi censuræ, quæ nulla est, sed vi legis naturalis dictantis vitandum esse scandalum. Recurrat ad superiorem, veritatem ei patefacere conetur, et interea ab eis quæ censura prohibet, saltem coram personis quæ invaliditatem ejus ignorant, caute abstineat. Insuper caveat ne sibi illudens, ut invalidam habeat cen-

suram reipsa validam: in eo casu consulendi sunt viri prudentes, et in dubio standum est judicio superioris. Ita ipse S. Ligoriu, n. 68, cum pluribus aliis Probabilistis, *quia in dubio possidet potestas judicis*.

Unde perniciosa judicatae sunt propositiones *Quesnel*, in bulla *Unigenitus*, n. 91 et 92 recensitæ, quibus hortatur ad contempnendam excommunicationem injustam.

In dubio vero an incursa sit censura, v. g., an percussio clerici satis fuerit injuriosa, an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, an conditio apposita in sententia sit impleta vel non, communiter docetur eam haberi posse ut nullam, donec pronuntiaverit judex, quia restringendæ sunt poenæ, ex regula juris 15: *Odia restringi convenit*.

Censura potest esse injusta et tamen valida, si neimpe ob causam sufficientem, sed ex inordinatis motivis, omissionis solemnitatibus requisitis non substantialibus, etc., feratur: tunc superior peccat, et nihilominus censura obligat.

CAPUT QUARTUM.

DE CESSATIONE CENSURARUM.

Quandoque pronuntiantur sententiae suspensionis et interdicti ad tempus duraturæ: tunc per solum temporis lapsum finem habent. Sed potius sunt poenæ vindicativæ quam censuræ.

Censuræ vero proprie dictæ et jam incursæ pon cessant per mortem superioris, nec per emendationem rei, nec per ejus mortem, nec per dispensationem; censura enim est vinculum spirituale animam ligans, quod semel contratum perdurat donec actu jurisdictionis dissolvatur: ille autem actus non est dispensatio, sed vera absolutio: ergo. *Ita omnes, ex pluribus juris capitibus.*

Diximus *jam incuse*, quia si censura sub conditione lata fuisset, et superior decederet, conditione nondum impleta, eo ipso cessaret. Item si superior, qui aliquid sub

pœna censuræ mandavit, moriatur antequam contracta fuerit censura, mandatum cum sua pœna exspirat.

1º A censuris ab homine per sententiam vel per mandatum particulare latis solus qui eas tulit, vel ejus successor aut superior, aut ad hoc legitime delegatus absolvere potest, quia est causa determinata cognosci copta, quæ ideo ab alieno judice terminari non debet, alioquin ordo jucandi turbaretur. *Ita omnes.* Si ageretur de censuris ab homine per modum generalis mandati latis, v. g., in eos qui tale admiserint crimen, multi docent quemvis sacerdotem approbatum ab eis absolvere posse, modo a superiore non fuerint reservatae. *S. Ligorius*, l. 7, n. 73, hanc tradit sententiam ut probabiliorem.

2º A censuris a jure latis, et non reservatis, quilibet sacerdos approbatus absolvere potest, et idecirco in forma absolutionis sacramentalis his utitur verbis: *Ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges.* Ita generaliter theologi et canonistæ, innixi ultimis verbis c. 29, tit. 39, l. 5 Decretal. et praxi Ecclesiæ. Quamvis enim simplices sacerdotes, ad audiendas confessiones approbati, jurisdictionem in foro externo non habeant, ad solvenda censurarum vincula certe delegari possunt: atqui, ex usu Ecclesiæ, quicumque ad audiendas confessiones simpliciter approbantur, eo ipso a jure delegantur ad absolvendum a censuris non reservatis, et eorum absolutio valet etiam pro foro externo, ut dicunt *S. Ligorius*, n. 70, et multi cum illo. Sed absolutio a confessario data non valet pro foro externo, si censura sit notoria. *Reiff.* l. 5, tit. 39, n. 246; *Coll. Andeg.*, t. 12, p. 88, *Lequcux*, n. 1451 et 1453, etc.

3º A censuris reservatis is solus absolvere potest cui reservantur vel ejus successor, vel ipsius quoad hoc superior, aut legitime delegatus: optime enim intelligitur illusoriam fore reservationem si aliis absolvere posset, et aliunde reservatio efficit ut alias jurisdictionem in dictas censuras non habeat. Ergo, etc. Successor autem cum eamdem habeat jurisdictionem, nullum est dubium quin a censuris a prædecessore suo latis absolvere possit. Item

superior quoad hoc, ut dictat ratio et habetur in Decretal. l. 1, tit. 31, cap. 8. Dicimus *superior quoad hoc*, quia archiepiscopus, quamvis superior episcopis sibi suffraganeis, eorum subditos tamen absolvere non potest, nisi in casu appellationis aut visitationis ubi est in usu, ut in Sexto, l. 5, tit. 11, cap. 7, statuitur. Unde concluditur eos qui habent potestatem absolvendi a censuris summo Pontifici reservatis, non ideo ab eis quas episcopus sibi reservavit absolvere posse.

Nulla requiritur forma verborum signorumve determinata ut absolutio a censuris valeat; sufficit ut voluntas superioris aliquo sensibili signo manifestetur. Ut autem haec absolutio sit licita, servanda est forma in Rituali præscripta, si detur in foro externo; si in foro interno, tantum utendum est forma consueta: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, etc.

Notandum absolutionem a censuris non esse sacramentalem, sed relaxationem vinculi ab Ecclesia impositi; quæ relaxatio pronuntiari potest in absentes per nuntium, per litteras, ut in pluribus juris canonici locis supponitur, et sæpe factum est. Hoc tamen intelligendum est de iis qui habent potestatem ordinariam; delegati enim verbis delegationis vel consuetudini receptæ derogare non debent. Unde simplices presbyteri, ad audiendas confessiones approbati, extra penitentia tribunal a censuris absolvere nequeunt.

Tempore Jubilæi, omnes confessarii extraordinariam habent potestatem absolvendi a censuris reservatis; ut extensio illius potestatis noscat, attendenda sunt verba concessionis prout sunt in bulla summi Pontificis.

CAPUT QUINTUM.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Excommunicatio, idem significans ac extra communio nem, est censura qua quis usu bonorum spiritualium fi-